REGINA
SACRATISSIMI ROSARI
ORA PRO NOBIS

ORAZIONE

O Vergine Immacolata e Regina del Santo Rosario. Tu, in quei tempi di morta fede e di empietà trionfante, hai voluto piantare il tuo seggio di Regina e di Madre sulla antica terra di Pompei, soggiorno di morti pagani. E da quel luogo dov'erano adorati gli idoli e i demonii, Tu oggi, come Madre delle divine grazie, spargi da per tutto i tesori delle celesti misericordie. Deh! da quel trono ove regni pietosa, rivolgi o Maria, anche sopra di me gli occhi tuoi benigni, ed abbi pietà di me, che ho tanto bisogno del tuo soccorso. Mostrati anche a me come a tanti altri Ti sei dimostrata, vera Madre di Misericordia: Monstra te esse Matrem, mentre che io con tutto il cuore Ti saluto e T'invoco mia Sovrana e Regina del Santissimo Rosario.

Salve Regina, Mater, ecc.

Con approvazione ecclesiastica

2/806

A quanti concorsero alla imponente manifestazione - 4 maggio 1949 - come ricordo e per vivissimi ringraziamenti.

Mons. Sante Minghetti

ORAZIONE A S. GIUSEPPE

A Voi, o Beato Giuseppe, nella nostra tribolazione ricorriamo e dopo d'avere implorato l'aiuto della vostra Santissima Sposa, anche il vostro patrocinio fiduciosi invochiamo. Deh! per quella carità che vi strinse all'Immacolata Vergine Madre di Dio, e per l'amore paterno con cui abbracciaste il fanciullo Gesù, riguardate, ve ne preghiamo, con occhio benigno, alla eredità che Gesù Cristo acquistò col suo Sangue, e col vostro potere ed aiuto sovvenite ai nostri bisogni. Proteggete, o provvido Custode della Divina Famiglia, la eletta prole di Gesù Cristo; allontanate da noi, o Padre amantissimo, ogni peste d'errori e di vizii; propizio dal Cielo assisteteci, o nostro fortissimo protettore, in questo combattimento colla podestà delle tenebre; e come un tempo campaste dall'estremo pericolo di vita il pargoletto Gesù, così ora difendete la Santa Chiesa di Dio dalle insidie nemiche e da ogni avversità; e sopra ciascuno di noi stendete ognora il vostro patrocinio, acciocchè, col vostro esempio e col vostro soccorso, possiamo virtuosamente vivere, piamente morire, e conseguire l'eterna beatitudine in Cielo.

Così sia.

Indulgenza di 300 giorni una volta al giorno, LEONE XIII, 15 agosto 1889.

Con approvazione ecclesiastica

Deo. 3123

P.d in Italy

OFFICIUM

SACRATISSIMI

CORDIS D. N. JESU CHRISTI

Recitandum

A MONIALIBUS SS. CORP. CHRISTI

FOROLIVII

Ex concessione SS. D. N. PII Papæ SEXTI

Sub ritu duplicis majoris.

FOROLIVII 1778.

Ex Typographia Achillis Petronii Marozzi.

Forolivien.

Sanctissimus Dominus Noster PIUS *Papa VI. humillimis precibus Ordinis S. Francisci Monasterii* CORPORIS DOMINI *Civitatis Forolivien. benigne annuens indulsit, ut singulis annis feria sexta post octavam* SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI *in præfato Monasterio Officium proprium cum Missa Sacratissimi* CORDIS JESU *jam sub die* XI. *Maii* 1765. *a Sac. Rituum Congregatione adprobat., imposterum sub Ritu duplicis majoris a Monialibus prædictis recitari possit, & valeat. Die* 28. *Aprilis* 1778.

M. CARD. MAREFUSCUS PRÆFECTUS.

Loco ✠ Sigilli.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Torolivia.

AD VESPERAS.

Antiph. Discite a me &c. *cum reliquis ut infra ad Laudes. Psalm.* Dixit Dominus *cum reliquis ut in Vesperis Festi SS. Corporis Christi.*

Capitulum. *Isaiæ* 12.

ECce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

AUctor beati Sæculi
Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.
Amor coegit Te tuus
Mortale corpus sumere
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat.
Ille Amor almus Artifex
Terræ, Marisque, & Syderum,
Errata Patrum miserans
Et nostra rumpens vincula.
Non Corde discedat tuo
Vis illa Amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.

Percuſſum ad hoc eſt Lancea,
Paſſumque ad hoc eſt vulnera;
Ut nos lavaret ſordibus
Unda fluente, & ſanguine.
Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque ſit Spiritui,
Quibus poteſtas, gloria,
Regnumque in omne eſt ſæculum.
Amen.

℣. Ignem veni mittere in terram.
℟. Et quid volo, niſi ut accendatur?

Ad Magnificat. Antiphona.

Improperium expectavit Cor meum, & miſeriam: & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non invèni.

OREMUS.

CONcede, quæſumus Omnipotens Deus, ut qui in Sanctiſſimo dilecti Filii Tui Corde gloriantes, præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

AD

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum pro nobis passum: Venite adoremus.

Psalmus 94.

VEnìte exultèmus Dòmino, jubilèmus Deo salutàri nostro: præoccupèmus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilèmus ei.

Christum pro nobis passum: Venite adorèmus.

Quoniam Deus magnus Dòminus, & Rex magnus super omnes deos: quòniam non repèllet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: & altitùdines mòntium ipse cònspicit.

Venìte adorèmus.

Quòniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & àridam fundavèrunt manus ejus: venìte, adorèmus, & procidàmus ante Deum; ploremus coram Dòmino, qui fecit nos, quia ipse est Dòminus Deus noster: nos autem pòpulus ejus, & oves pàscuæ ejus.

Christum pro nobis passum: Venite adoremus.

Hòdie si vocem ejus audièritis, nolìte obduràre corda vestra, sicut in exacerbatiòne secundum diem tentationis in desèrto; ubi tentaverunt me patres vestri, probavèrunt, & vidèrunt òpera mea.

Venìte adoremus.

Qua-

Quadragìnta annis proximus fuit generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde: ipſi verò non cognovèrunt vias meas, quibus juràvi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Chriſtum pro nobis paſſum: Venite adoremus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Venite adoremus.

Chriſtum pro nobis paſſum:

Venite adoremus.

Hymnus.

EN, ut ſuperba criminum,
Et ſæva noſtrorum cohors
Cor ſauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!
Vibrantis haſtam Militis
Peccata noſtra dirigunt:
Ferrumque diræ cuſpidis
Mortale crimen acuit.
Ex Corde ſciſſo Eccleſia
Chriſto jugata naſcitur;
Hoc oſtium Arcæ in latere eſt
Genti ad ſalutem poſitum.
Ex hoc perennis gratia,
Ceu ſeptiformis fluvius;
Stolas ut illic ſordidas
Lavemus Agni in ſanguine.

Tur-

Turpe eſt redire ad crimina,
Quæ Cor beatum lacerent:
Sed æmulemur cordibus
Flammas Amoris indices.
Hoc Chriſte nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus poteſtas, gloria,
Regnumque in omne eſt ſæculum.
Amen.

In 1. Nocturno.

Antiph. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Pſalm. 8.

DOmine Dòminus noſter, * quàm admirâbile eſt nomen tuum in univèrſa terra?

Quòniam elevàta eſt magnificèntia tua, * ſuper cœlos.

Ex ore infàntium, & lactèntium perfecìſti laudem propter inimìcos tuos, * ut dèſtruas inimìcum, & ultòrem.

Quòniam vidèbo cœlos tuos, òpera digitòrum tuòrum: * lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut filius hòminis, quòniam vìſitas eum?

Minuìſti eum paulò minùs ab Angelis, glòria & honore coronàſti eum: * & conſtituìſti eum ſuper òpera mànuum tuàrum.

Omnia ſubjeciſti ſub pèdibus ejus: * oves &

boves univèrsas, ìnsuper & pècora campi;

Vòlucres cœli, & pisces maris: * qui peràmbulant sèmitas maris.

Dòmine Dòminus noster, * quàm admiràbile est nomen tuum in univèrsa terra!

Glòria Patri &c.

Antiph. Quid est homo, quia magnificas eum aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Antiph. Meditatio Cordis mei in conspectu Tuo semper.

Psalm. 18.

Cœli enàrrant glòriam Dei, * & òpera mànuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies dièi erùctat verbum, * & nox nocti indicat scièntiam.

Non sunt loquèlæ, neque sermònes, * quorum non audiàntur voces eòrum.

In omnem terram exìvit sonus eòrum: * & in fines orbis terræ verba eòrum.

In sole pòsuit tabernàculum suum: * & ipse tamquam sponsus procèdens de thàlamo suo.

Exultàvit ut gigas ad currèndam viam, * à summo cœlo egrèssio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscòndat a calòre ejus.

Lex Domini immaculàta, convèrtens ànimas: * testimonium Domini fidele, sapièntiam præstans pàrvulis.

Ju-

Justìtiæ Dòmini rectæ, lætificàntes corda: * præcèptum Dòmini lùcidum, illùminans òculos.

Timor Domini sanctus, pèrmanens in sæculum sæculi: * judìcia Dòmini vera, justificàta in semetìpsa.

Desiderabìlia super aurum, & làpidem pretiòsum multum: * & dulciòra super mel, & favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodièndis illis retribùtio multa.

Delìcta quis intèlligit? ab occultis meis munda me: * & ab alièmis parce servo tuo.

Si mei non fùerint dominàti, tunc immaculàtus ero: * & emundàbor a delicto màximo.

Et erunt ut complàceant elòquia oris mei: * & meditàtio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dòmine adjutor meus, * & redemptor meus.

Gloria Patri &c.

Antiph. Meditatio Cordis mei in conspectu Tuo semper.

Antiph. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Psalm. 23.

DOmini est terra, & plenitùdo ejus, * orbis terràrum, & univèrsi, qui hàbitant in eo.

Quia ipse super mària fundàvit eum: * & super flumina præparavit eum.

Quis ascèndet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

In-

Innocens mànibus, & mundo corde: * qui non accèpit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo pròximo ſuo.

Hic accìpiet benedictionem a Dòmino, * & miſericòrdiam a Deo ſalutàri ſuo.

Hæc eſt generàtio quærèntium eum, * quærèntium fàciem Dei Jacob.

Attòllite portas, prìncipes, veſtras, & elevàmini portæ æternales: & introìbit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex glòriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attòllite portas, prìncipes, veſtras, & elevàmini portæ æternàles: * & introìbit Rex glòriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dòminus virtùtum ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri &c.

Antiph. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

℣. Domine dabis pacem nobis.

℟. Omnia enim opera noſtra operatus es nobis.

Lectio 1.

De Iſaia Propheta. *Cap.* 12.

COnfitebor Tibi Domine, quoniam iratus es mihi. Converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi

in

in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino,& invocate nomen ejus, mementote quoniam excelſum eſt nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirifice fecit: annuntiate hoc in univerſa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.

℟. Ego ſum panis vitæ: Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Hic eſt.

Lectio 11. Cap. 26.

IN die illa cantabitur Canticum iſtud in Terra Juda: Urbs fortitudinis noſtræ Sion: Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur Gens juſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit, ſervabis pacem, pacem quia in Te ſperavimus. Speraſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelſo, civitatem ſublimem humiliabit, humiliabit eam uſque ad terram.

℟. Ecce vidimus Eum non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus ejus in eo non eſt: hic peccata noſtra portavit, & pro nobis dolet:

ipſe

ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, * Cujus livore ſanati ſumus.

℣. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Cujus livore.

Lectio III.

SEmita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum: & in ſemita judiciorum tuorum, Domine, ſuſtinuimus te: Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores Orbis.

℟. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus, * Et benedictum nomen Majeſtatis ejus in æternum.

℣. Replebitur Majeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat. Et benedictum. Gloria Patri. Et benedictum.

In II. *Nocturno*.

Antiph. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis.

Pſalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcribæ, * velociter ſcribentis.

Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt

eſt gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, * potentiſſime.

Specie tua & pulchritudine tua, * intende, proſpere procede, & regna.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexiſti Juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis; * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, * circùmdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: * & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: * quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Ad-

Adducentur Regi virgines poſt eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: * conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * & in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri &c.

Antiph. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis.

Antiph. Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Pſalm. 45.

DEus noſter refugium, & virtus; * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: * conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: *

gna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, * auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, * & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus: * exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Gloria Patri &c.

Antiph. Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Antiph. Sicut Lætantium omnium habitatio eſt in Te.

Pſalm. 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis: * diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

Glorioſa dicta ſunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylonis * ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt

est in ea: * & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium, * habitatio est in te.

Gloria Patri &c.

Antiph. Sicut Lætantium omnium habitatio est. in Te.

℣. Conversus est furor tuus.

℟. Et consolatus es me.

Lectio IV.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 3. de Pass.

QUia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, & bonum est, nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos: Tu dixisti accedentibus ad Te: gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo. Accedamus ergo ad Te, & exultabimus, & lætabimur in Te, memores Cordis tui. O quam bonum, o quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, & sine fallacia illud me enutriet.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣.

℣. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio v.

AD hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, & laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invènit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invèni Cor Regis, Fratris, & Amici benigni Jesu. Et nunquid non adorabo? Hoc igitur Corde Tuo, & meo, dulcissime Jesu, invento, orabo Te Deum meum: admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuæ preces meas: imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me; ut purificatus per Te purissimum, possim accedere, & in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, & ut videre simul, & facere tuam valeam voluntatem.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & dum male tractaretur, non aperuit os suum; traditus est ad mortem, * Ut vivificaret populum suum.

℣. Tradidit in mortem animam suam, & inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

Le-

Lectio vi.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis pàtescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, & in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possìmus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus Amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? quis tam amans non rèdamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum pòssumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus, & pedes, latus, & Cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc, & impœnitens Amoris sui vinculo constringere, & jaculo vulnerare dignetur. Quam charitatem Christi patientis, & pro generis humani Redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui, ut fideles sub Sanctissimi Cordis Symbolo devotius, ac ferventius rècolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. Pontifex Maximus ejusdem Sanctissimi Cordis Festum quibusdam petentibus Ecclesiis celebrare permisit. R.

FERIA VI.

POST OCT. SS. CORP. CHRISTI

SS. CORDIS D. N. JESU CHRISTI

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Breviario, eadem Feria, sed Lectio vi. ita concludatur:

℣. . . Quam caritátem Christi patiéntis, et pro géneris humáni redemptióne moriéntis, atque in suæ mortis commemoratiónem instituéntis Sacraméntum Córporis et Sánguinis sui, ut fidéles sub sanctíssimi Cordis symbolo devótius ac fervéntius récolant, ejusdémque fructus ubérius percípiant, Clemens décimus tértius ipsíus sacratíssimi Cordis festum nonnúllis Ecclésiis celebráre concéssit, Pius nonus ad univérsam exténdit Ecclésiam, ac dénique Summus Póntifex Leo décimus tértius, Orbis cathólici votis obsecúndans, ad ritum Dúplicis primæ classis evéxit.

Revisione rite peracta, cum exemplaribus a S. R. Congr. adprobatis omnia concordare reperta sunt. In fidem, etc.

Taurinorum Aug. Pridie idus Januarii 1891.

Sac. E. Gonella *Rev. Archiep.*

V° imprimatur.

Taurini, 12 Januarii 1891.

C. Barth. Roetti *Vic. Gen.*

Joseph Corno *Cancell.*

Typ. Pontificia et Archiep. Eq. Petri Marietti.

℟. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: * Et ſapientia ejus non eſt numerus.

℣. Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt finis. Et ſapientiæ ejus, Gloria Patri. Et ſapientiæ ejus.

In iij. Nocturno.

Antiph. Annunciate de die in diem ſalutare ejus.

Pſalm. 95.

CAntate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedìcite nomini ejus: * annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis eſt ſuper omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cælos fecit.

Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu ejus: * ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hoſtias, & introìte in atria ejus: * adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Com-

Commoveatur a facie ejus universa terra; * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * & populos in veritate sua.

Gloria Patri &c.

Antiph. Annuntiate de die in diem salutare ejus.

Antiph. Adorate eum omnes Angeli ejus; audivit, & lætata est Sion.

Psalmus 96.

DOminus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes & caligo in circùitu ejus: * justitia & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * & inflammabit in circùitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; * a facie Domini omnis terra. An-

Annuntiaverunt cœli juſtitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, * & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli ejus; * audivit, & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus Altiſſimus ſuper omnem terram: * nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino: * & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

Gloria Patri &c.

Antiph. Adorate eum omnes Angeli ejus; audivit, & lætata eſt Sion.

Antiph. Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

Pſalm. 97.

CAntate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus; * & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: * in conſpectu

ſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, * & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ, * ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra, * cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi; in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu Regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt a conſpectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia; * & populos in æquitate.

Gloria Patri &c.

Antiph. Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

℣. Ex Sion ſpecies decoris ejus.

℟. Deus noſter manifeſte veniet.

Lectio vij.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Joannem.

Cap. 19. *v.* 31.

IN illo tempore Judæi, quoniam Paraſceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) roga-

rogavérunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Tract. 120. *in Joan.*

UNus Militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit Sanguis, & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quę vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat, & potum. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere Arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui manducat.

Lectio viij.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil.* 84.

VIdes quanti sit veritas? per ea, quæ Judæi faciunt, prophetia impletur; alia enim

ex hoc manifeſtata eſt. Venerunt ergo Milites, & aliorum fregerunt crura, non Chriſti; ſed ad Judæorum grâtiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt, & mortuo adhuc inſultant. O peſſimam voluntatem, ac ſceleſtiſſimam! Noli tamen perturbari, o dilectiſsime; quæ enim malo illi animo patrarunt, veritati conſentiebant, prophetia hinc impleta eſt inquiens: Videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, ſed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum myſterium confirmatum eſt; exivit enim ſanguis & aqua. Non caſu, & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt, ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt.

℟. Receſsit Paſtor noſter fons aquæ vivæ, ad cujus tranſitum Sol obſcuratus eſt: * Portas mortis, & ſeras pariter Salvator noſter diſrùpit.

℣. Deſtruxit quidem clauſtra inferni, & ſubvertit potentias diaboli. Portas. Gloria Patri. Portas.

Lectio ix.

De Homilia Sancti Bonaventuræ Epiſcopi.

Lib. de Lign. Vitæ.

PORro ut de latere Chriſti dormientis formaretur Eccleſia, divina eſt ordinatione indultum, ut unus Militum lancea latus Sacrum illud aperiendo perfòderet, quatenus Sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur noſtræ ſalutis, quod a fonte ſcilicet Cordis arcano profuſum,

ſum, vim daret Sacramentis Eccleſiæ, ad vitam gratiæ conferendam; eſſetque jam in Chriſto viventibus poculum fontis vivi, ſalientis in vitam æternam. Surge igitur anima amica Chriſti, vigilare non ceſſes, ibi os appòne, ut haurias aquas de Fontibus Salvatoris.

Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph. Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis Corde.

Pſalm. Dominus regnavit. *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Sanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & Cor meum ibi cunctis diebus.

Antiph. Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificavi Cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.

Antiph. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Antiph. Pone me ut ſignaculum ſuper Cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.

Capitulum.

ECce Deus Salvator meus, fiducialiter agam & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

℟. Deo gratias.

Hymn.

Hymnus.

COR, Arca legem continens
Non ſervitutis veteris;
Sed Gratiæ, ſed veniæ,
Sed & Miſericordiæ.

Cor Sanctuarium novi
Intemeratum Fœderis
Templum vetuſto Sanctius
Velumque ſciſſum utilius:

Te vulneratum Charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris inviſibilis
Ut veneremur vulnera.

Hoc ſub Amoris Symbolo
Paſſus cruenta, & myſtica,
Utrumque Sacrificium
Chriſtus Sacerdos obtulit

Quis non Amantem rèdamet?
Quis non redemptus diligat;
Et Cordè in iſto ſeligat
Æterna tabernacula?

Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque ſit Spiritui,
Quibus poteſtas, gloria,
Regnumque in omne eſt ſæculum.
Amen.

℣. Vere langu ores noſtros ipſe tulit.
℟. Et dolores noſtros ipſe portavit.

Ad

Ad Benedictus. Antiph.

Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livòre ejus ſanati ſumus.

OREMUS.

COncede quæſumus omnipotens Deus: ut qui in Sanctiſſimo dilecti Filii tui Corde gloriantes præcipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eumdem Dominum noſtrum &c.

Ad Primam. ℟. breve. Chriſte Fili Dei vivi, * miſerere nobis. Chriſte. ℣. Qui paſſus es pro nobis.

Ad Tertiam. Capitulum. Ecce Deus Salvator.

℟. *brev.* Vere * languores noſtros ipſe tulit. Vere.

℣. Et dolores noſtros ipſe portavit. Languores. Gloria Patri. Vere.

℣. Poſuit fines tuos pacem.

℟. Et adipe frumenti ſatiat te.

Ad Sextam. Capitulum. Iſaiæ 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Domino; & invocate nomen Ejus; & mementote quoniam excelſum eſt nomen ejus.

℟. *brev.* Poſuit * fines tuos pacem. Poſuit.

℣. Et adipe frumenti ſatiat te. Fines tuos pacem. Gloria Patri. Poſuit.

℣. Di-

℣. Dirupisti Domine vincula mea.
℟. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ad Nonam. Capitulum. Isaiæ 12.

Cantate Domino, quoniam mirifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

℟. *brev.* Dirupisti Domine * vincula mea. Dirupisti.

℣. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula mea. Gloria. Dirupisti.

℣. Erit Dominus nominatus in signum æternum.
℟. Quod non auferetur.

In secundis Vesperis.

Omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Haurietis aquas in gaudio.
℟. De Fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat. Antiphona.

Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt Eum mortuum, non fregerunt Ejus crura; sed unus militum lancea latus Ejus aperuit, & continuo exivit Sanguis, & aqua.

SACROSANCTO CORDI D. N. JESU

CHRISTI

HONOR ET GLORIA

F30

0743831
5SE17